



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XXVI. Ad malè audientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## EXHORTATIUNCULA XXVI.

## Ad Audientes malè.

## I.

**F**illi mi ! Si te lactaverint peccatores verborum lenociniis, adulationibus, & blanditiis. ut curras ad iniquitates, ne acquiescas illis. Sepiaures tuas spinis Christianæ prudentiæ, & circumspectionis ! Averte oculos ! Fuge ! Fuge ! mali sermones animæ, & pacis internæ latrones sunt. Fuge ! Cave, ne audias, unde pereas.

*Instructio meritoria.*

Signemus, quoties in publicum prodimus, aures signō S. Crucis cum dictō : Benedic cat, & cu f̄ stodiat vos omnipotens Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen. Et ne quid sermonis minus honesti auditum occupet, aures amandissimi Jesu veneremur quindecim Pater, & Ave cum oratione ex Dominica 9. post Pentecosten : *Pateant aures misericordiae tue Domine precibus supplicantium, & ut petentibus desiderata concedas; Fac eos, quæ tibi sunt placita, auscultare, atque audire.*

## II.

**D**ilectissime ! utinam saperet, & intelligeret, ac novissima provideret ! Si saperet, quæ Dei sunt ; si intelligeret, quæ sunt mundi ; si provideret, quæ inferni sunt, profecto ad infernum contremiseret, superna appeteret, homines non audiret, & quæ vel sub manu, vel auditu sunt, contemneret. Verum ò quoties nobis cordis caligat oculus ! K k 3 In-

*Instructio meritoria.*

Supplicemus per merita SS. quatuor Ecclesiæ Doctorum pro circumspectione Christiana, & flectentes ad cœlos clamemus: Da mihi Jesu! sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum labore, & sciam, atque audiam, quid acceptum coram te.

## III.

**B**One! Avertat cœlum! ne audiat detractorem. Hunc aut fugiat, aut opportunè importunè compescat! Nihil enim prodest vobis; vel inde gravabitur super illum, cuius nomen patitur; vel super eum, qui detrahit. Quærat potius, quod proximo laudabile, & meritorium sibi. Qui detractiones audit, semetipsum occidit. Quanta crudelitas!

*Instructio meritoria.*

Fuga est optima contra detractiones tutrix, & custodia. Nemo cogitur, ut audiat malum. Datur ergo effugium, & à tali occasione rectâ viâ aut ad templum, aut ad cubiculum pergamus, & flectentes coram piâ Imagine psalmum: *Deus in Nomine tuo salvum me fac &c.* subdamus. Hic clamor penetrat cœlos, & terret inferos.

## EXHORTATIUNCULA XXVII.

**A**d Gulosos, & circa cibum, ac potum immortificatos.

## I.

**Q**Uod Ecclesiasticus omni prudenti, idem dico & ego filio spirituali: Fili! noli esse avidus